Philosophia

Sosnowski Nicol. Thad. Selectae conclusiones ex libb. Aristotelis de mundo, coelo, meteoris.

Tit. desid.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
DOMINO
D. THOMÆ DE RVPNIOWV
VIEYSKI,

Dei & Apostolicę sedis

Gratia Episcopo Chioviensi & Czernichoviensi, Abbatiæ Plocensis Administratori, Præposito Varmiensi, Custodi Gnesnensi, &c. &c. D. Patrono & Mecænati munificentissimo.

BIBLIOTHECA IAGELL. VNIV. CRACOVIENSIS
53068 I

CUm universæ Aristotelicæ Philosophiæ sub Tuis Auspiciis PRÆSUL ILLUSTRISSIME propugnationem susceperim, potissimùm Tibi in conclusionibus libros de Mundo, Cœlis ac Meteoris repræsento. Tibi enim est velut magno quondam Antonio natura rerum conditarum, liber, in quo assiduè legis DEUM, qui amat se in puris mentibus Solare velut jubar in illimi aqua intuentibus exhibere. Quæ mentes ex hoc in illum ipsum abripiuntur, sicuti

ſicuti ſolet prope abjectâ Elementi indole, & jam ſeipſâ tenuior â ſuo trahi Sole aqua: & ita Deo vicinæ neq; unquam ab eo diſjunctæ ad humana ſe demittunt. Non aliud & nos cogitamus, quando nos aquâ refectionis Tuæ educas, (ut loquar verbis ſcripturæ, ſtemmatis Tui rebus.) Jam verò quantopere gratum eſt Superis quando lætificas virtutum Tuarum tanquam fluminis impetu Civitatem illam ſupremam DEI: ſed & quando Tuam dignitatem contemplor, nihil aliud offerri â me Tibi poſſe credo: Ipſum tabernaculũ Domini quod ingrederis, quid eſt aliud teſte S. Hieronymo ad Fabiolam niſi totus mundus ex æthere, cœlis, maribus, terris contextus ê zodiaci 12 ſignis, Planetis 7. cœlo. terra, & ijs quæ in aëre fiunt, quid ſacer Pontificalis habitus? niſi 4 Elementorum ſymbolum, ut non minùs nobis Tuus amictus ſit, quàm Baſilio quondam mundus rationalium animalium ſchola, ubi in Dei notitia erudiamur. Demũ: me Tibi quâ aliâ imagine quam ſub Univerſi ſiſtere debui, qui univerſa Tuo beneficio habeo Tu mihi es Sol â quo quotidianas influentias, Tu cœlum â quo mea beatitudo, Tu quidquid eſt mundus, â quo mihi omnia. Admitte itaq; eâ ipſâ humanitate, quâ mundum Sarmaticum impleviſti, & me inter Tuos Clientes per ingens beneficium eſſe permitte.

Illſſimæ & Rndiſſimæ Celſitudinis Veſtræ

Cliens humillimus

NICOLAUS THADÆUS SOSNOWSKI.

SE-

SELECTÆ CONCLVSIONES

Ex libris Aristotelis, De Mundo, Cœlo, Meteoris breviter decisæ;

1. An Mundus sit ab æterno?

CRedimus mundum conditum in tempore etsi de primo initio varient ob diversitatem quantitatis annuæ, quæ non eadem est omnibus. Quòd non sit ab æterno (etiamsi daretur potuisse esse ab æterno) congruentiæ svadent. Tum quia finis mundi est agnitio DEI, Hæc verò, meliùs habetur, si non ab æterno conditus mundus, sic enim meliùs cognoscitur *DEVS* nullius rei indigens, si ab æterno potuit esse sine mundo. Agnoscitur etiam libertas DEI, quia creavit quando voluit. Tum quia aliqua monumenta antiqui ora. Moyse extarent, & artium inventiones, mortales enim inertes fuisse, non est rationabile: atqui Moyses Gen. 4. 21. numerat artium inventores: *Iabel Pater habitantium in tentorijs & pastorum: Iubal Pater canentium in Cythara & organo: Tubalcaim malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* Neq; Aristoteles ubiq; contrarium sentit. Nam 1. Top. 9. dicit, *quadam esse problemata Dialectica de quibus rationes non habemus, uti utrum mundus sit æternus,* Nequè obstat illud veterum: *Ex nihilo nihil fit.* Imò respectu agentis infiniti debet esse actio infinitè excellentior agentibus finitis & hæc est *ex nihilo,* Nequè *DEUS* interea fuit otiosus, Qui ipse sibi semper motus quietissimus.

2. Quo tempore mundus Conditus?

VT quæstio locum habeat non respectu totius mundi est movenda, semper enim in mundo alicubi est ver, alicubi hyems, alicubi autumnus, æstas, sed respectu nostri he-

misphærij Ajo in vere esse conditum. Nam Gen. 1. *Visa est* terra germinare herbam virentem, quod non congruit autumno & svadetur, tum quia in vere facta *Domini* Incarnatio, *Passio*, Pascha primum, transitus per mare rubrum & alia maxima mysteria. Tum quia Eua decerpsit fructum ex arbore: at verò teste Francisco le *Rees* hîc, nulli supersunt in arboribus sub Autumnum in Palæstina fructus cujus ingenium nimium â paradisiaco non abscedit.

3. Vtrum unus sit mundus?

PLures esse mundos non posse Aristoteles parum piè docuit, de cœlo c. 8. & post eum non Christianè Wicleffus. Plures de facto mundos voluit Heraclides, Item Pithagoræ & Orphei sequaces uti refert Plut. de placitis Philosoph. scilicet quemvis planetam, quamvis stellam esse mundum, suos homines lunam, suos Mercurium non secus ac terram incolere: nunquid enim moles Saturni quæ quadragies sexies demonstrante Lansbergio continet terram inculta & vacua mansura; Quorsûm magnitudo stellarum quarum quæ sunt primæ magnitudinis Sexagies septies terram superant? An ut solùm hanc terram illustrent? at quis facem majorem domo accendit? Accedit, hoc modo magis commendari DEI magnificentiam: magis pietatem, qui solum terrenos homines in Adamo cadere, *Solares*, Lunares &c. culpæ immunes servavit. *Sic* â pluribus DEVS colетur. Plures mundos implebit. Pulchrè dicta, sed somniantis ludibria. An enim DEVS eget spatio? An locus immensitatem mensurat? Nec est dedecens tantas faces nostræ huic terreæ domunculæ radios accommodare, cùm sua ministeria DEI Filius non sit didignatus: nequé illi globi vacui laudibus DEI, quibus Angeli Præsides affixi DEO perpetuam decantant gloriam; corporibus autem inhabitabiles ob tam vertiginosos rapidosqué motus tum etiam ipsa temperies admodum inimica esset incolis: quem enim *Saturnus* frigore; Mars æstu non enecaret? Quem luce sol non excæcaret?

4. Vtrum

4. Vtrum eodem tempore totus mundus conditus?

PHilo censuit rudis ingenii mundum sex diebus factum censere, & Moysen non nisi ob ingenium plebis ad tot dies retulisse accessit illi Procopius Gazæus, sed apud hos fuit simul lux cum tenebris, simul terra inanis & plena arboribus animantibusqué, sex itaquè diebus orbis constitit. Primo cœli & illorum incolæ Angeli, tum tellus & aqua: sed terra sphærica ideoque nullis vallibus ac litoribus recludens aquas, quæ usque per spatia cœlo Empireo inclusa diffundebantur quibus lux quædam creata affulsit. Altero die divisæ aquæ interposito cœlorum corpore, qui ex ijsdem facti creduntur, cùm annihilari eas non decuérit. Tertio, terra undis emergere cœpit, montes protuberare, in valles excavari, in colles eniti, tum metalla enasci, lapides durescere, sylvæ frondere, florere prata, germinare: huic diei etiam paradisus adscribitur versus orientalem plagam compositus, Quarta dies solem, planetas, stellas protulit. Quintâ balænæ in mari, philomelæ in nemore, olores in stagnis comparuerunt. Sextâ animalia terris data & tandem aspexit hæc omnia homo.

5. Vtrum terra cum aqua eundem globum conficiat?

ITa. Umbra Eclipsim lunarem efficiens hoc illustrat, quæ ab utroque corpore eadem semper, Ex Vnitatem hujus globi, Experti qui orbem navigando circuierunt.

6. Quare terra non cadat deorsum?

QUia nec sursum. Tam enim pars terræ quam Antipodes premunt est versus cœlum quàm nostra. Ratio autem cur neutra cadat, quia omne grave in terra solum versus centrum gravitat â centro vero violentè elevatur.

7. Quare terra apparet plana licet sit rotunda?

QUia circulusquo major eo magis accedit ad rectam lineam, terreus verò circulus est ingens ut pote cujus diameter continet milliaria Germanica 1720. Semidiameter verò seu distantia à nobis ad infernum mill. 860. tota circumferentia mill. 5400 Quod ita se habere deprehensum est ex itinere procedendo ab Austro ad Aquilonem. *Post* singula enim 15 mill. Germ. elevatio poli uno gradu variat, igitur cùm in circulo sint gradus 360 prodit ambitus circuli ducto hoc numero in 15.

8. Quæ sit dispositio terræ?

TOta dividitur in partes quatuor. Europam. Asiam, Africam. Americam, quæ divisio est bona etsi aliter fieri potuit. Europam mare Britanicum & Germanicum à Septemtrione, â Meridie verò mediterraneum claudit, ab oriente fluvio Tanai & *Ponte* Euxino clauditur. Longitudinem habet mill, Germ. 750 ab Olissipone Constantinopolim in medio instar alarum ad 600 mill. *Germ.* deducitur, aliàs non excedit 225. Africa à septemtrione mare mediterraneum, â Meridie Oceanum Æthyopicum, ab occidente Insulas Fortunatas, ab oriente sinum Persicum habet: censetur duplò major quàm Europa. Asia ab occidente & Europa fluvio *Tanai*, à Septemtrione Oceano Tartarico, ab Affrica *I*sthmo jacente inter sinum Arabicum & mare Mediterraneum secernitur. America reliquum terræ occupat, & ob magnitudinem alter orbis appellatur. Polonia incipit in latitudine â gradu 47. ad Gr. 58. in longitudine â 39. ad 57. circumscribitur verò ab ortu Tartaris & Moschis juxta Borysthenem, â Septemtrione Balthico mari & parte Moschoviæ â meridie Hungaricis montibus & Valachiâ, ab occasu Silesitis & Moravijs,

9. An statim initio Creationis suæ totus orbis terreus illustratus fuerit?

Facta

F Acta est divisio lucis a tenebris. sed hæc aliter fieri non potuit nisi quod unum Hemisphærium illustrabatur aliud in tenebris relictum: itaq; non fuit lux in toto simul orbe.

10: An prior fuerit dies quàm nox?

C Ertū est tenebras universales priores fuisse luce sed ex quo lux est creata simul fuit dies & nox, scilicet in diversis Hemisphæriis. Diei tamen supputatio â nocte incipit, ita enim sacer textus loquitur: *Factus est vesperè & manè dies unus* quam rationem Judæi in suis Sabathis inchoandis etiam hactenus observant, & imitatur Ecclesia dies festos â vesperis incipiendo.

11, Quis dies erat quo DEVS mundum cœpit procreare?

N Ullus. Quia nondum erant discrimina diei & noctium, Dominico tamen illud spatium respondet, Quia hic est septimus â Sabbato, quo DEVS cessavit ab opere, cum 6. diebus fuit operatus.

12, An fuerint ab initio mundi rosæ armatæ spinis item venena?

I Sta omnia sunt bona dum quis sciat illis uti, alioqni nec ignis creari debuisset, quia urit, neq; fluvij: quia mergunt: quocirca affirmativam tenemus.

13. An costa Adæ extracta vacuum in latere ejus ab ossibus reliquerit?

D Ocet S. *Thomas* costam hanc fuisse supernumerariam, eòque sine ullo defectu secuto abstractam Adamo, cui

costæ sicuti solet seminibus, materia accedebat, donec pro toto corpore Euæ sufficeret. Quod ipsum confirmatur, quia Andr. Laurenti l. 1. Anatom. c. 41. totidem costas in latere virorum ac mulierum observavit, scilicet 12. proinde costa non reliquit ex osse spatium in latere Adami.

14. An Gygantea mole fuerit Adam.

SAcer Historicus Gygantes prodijsse ut rem novam narrat, igitur Adam non fuit gygas: proceræ nihilominus staturæ credendus est fuisse, Nam etiam Christus Dominus 7. vel circiter pedum fuit teste Nicephoro. Unde Poëta. Terra malos homines nunc educat atquè pusillos.

15. Quæ specialia habet Homo?

TOt membris constat quot annus diebus scilicet 365. de ossium numero non convenit inter Anatomos. 2. Solus habet ex animalibus globosum caput. 3. Solus copiosissimum cerebrum. 4. Nullus hominum per omnia alteri de facie similis. licet solùm. 10. membris facies constet. 5. Solus diversorum colorum habet oculos, si equum demus, nam boum omnium nigri, ovium aquei &c. & soli homini depravantur ut dicatur strabo, Pœtus &c. 6. Habet palpebras tam inferiores quàm superiores mobiles in quo solus illum struthio camelus imitatur, nam quadrupedia solùm superiores, volatilia solùm inferiores. 7. Soli nasus eminet. 8. Soli aures immobiles & in eadem linea cum oculis sitæ. 9. Minimè pilosus. 10. Solus calvescit. 11. Hominis crura carne abundant, omnium quadrupedum deficiunt. 12. Quadrupedia crura utroquè modo contrario inflectunt quam homo. 13. Sinciput humanum in infantia molle & cum annis durescit. 14. Solus sine dentibus nascitur. 15. Solus terrestrium bipes. 16. Solus erectus incedit ut Laur. adnotat in Anatom.

16. An mixta animalia statim initio mundi producta fuerint?

EX asino & equa nascitur mulus & mula, ex equo & asina hinnus: ex hirco & ove Tycirus, ex ariete & capra musmo: ex apro & sue hybris: ex lupo & cerva lynx: ex lupo & Panthera crocuta: ex cane & tigride Arcadici canes: ex vulpe & cane Laconici canes &c. de his censeo cum Niremb. lib. 5. hist. c. 21. Quæ cùm sunt sterilia signum est non fuisse â DEO productâ, siquidem his non fuit data benedictio fœcunditatis.

17. Quomodo in Insulas remotissimas homines devenerint?

Est de fide Act. 17. Quod ex uno Adamo omnes processerint, devenêre autem navigijs, nam olim nota fuit navigatio, Salomon enim ad remotissimas terras mittebat naves: quæ tandem intermissa ac loci in oblivionem venerunt, tum veluti de novo reperiuntur. Animalia verò aliqua ab hominibus in eas partes deducta, aliqua statim initio illis locis producta, ab Angelis deportata, plura enim DEVS ex quavis specie condidit, alioqui argumentante Aug. 12. civit. Illa species periisset cui DEVS detraxit pelles, ut formaret Adamo pelliceum, per quod se ob inobedientiam agnosceret comparatum fuisse jumentis insipientibus. S. Ephrem putat fuisse ovium pelles, & ex eo Barcepha. Idem affirmat S. Hildegardis Epist. ad Prælatos Moguntinenses. Sed ut nos gratos hinc magistro nostro ostendamus Christo, juvat attingere Philosophorum errores de primo hominis ortu, Anaximander Milesius censuit ut piscem ex aqua & limo casu enatum, Empedocles ut fungum ê terra, Epicurus concalefacto limo uteros terræ per radices inhærentes processisse, & in ijs crevisse infantes, ab ijsdemque lactatos. Zeno author Stoicorum ex alio mundo advenisse. Ovidius Myrmidonum nationem ê formicis. Cadmœorum gentem ex dentibus draconis agro insitis. Alcinous ê Platonis doctrina noluisse quidem DEVM ut homines gigneret, alioqui fuissent immortales, sed filijs suis id negotij comisisse. Marcus Aurelius ex limo Nili erupisse

 rupisse

rupisse cum cæteris bestijs. Talibus fabulis Nicander, Corinna & Hesiodus, id gentilium Doctores suam doctrinam superædificarunt.

18. An cœli stent, moveatur terra?

Pythagoræ Samij quod sciam prima hæc fuit imaginatio, secuti hunc Aristarchus Samius, Philolaus. Nicetas Syracusanus, Heraclitus Ponticus. Eupantus & alij Pythagorici ex hoc dogmate templum Vestæ rotundum Numa Romanus erexit, in cujus medio ignem qui solem referret immotum, defixit. Sed jam antiquata fuit hæc fabula donec eam admirandi vir ingenij ac nostræ glória Prussiæ Nicolaus Copernicus magis ad ingenium quàm assertionem in libris Revol. Oblatis Paulo III. excitavet. Visa est contra scripturam esse, cui omnis nostra ratio cedere debet, & censura notata Anno 1611. & 1616. relatusquè liber Copernici in prohibitorum Indicem, donec corrigeretur. Ea ipsa res adversarios sedis Apostolicæ accendit, ut Pleno agmine sententiæ prorutæ succurrerent, Keplerus, Rothmanus, Gilbertus, Origanus, Lansbergius Minister Goësanus & alij, qui scripturam contra omnium veterum PP. mentem interpretati, argumenta nova aliquot adjecerunt. Sed nobis non licet esse sapientioribus, quàm patres, qui jussu Salomonis Prov. 22. 28. *Nolumus transire terminos antiquos quos posuerunt Patres nostri*, juxta receptum semper ab Ecclesia sensum verba Psalmi 103. 5. accepimus. *Fundasti terram super stabilitatem suam non inclinabitur in sæculum sæculi:* sed neque ex adversariis omnibus visum est scripturam ad mentem suam torquere. Nam Tycho l. 1. de Cometa Anni 1577. c. 8. Gasp. Bartholinus Danus, non jam ê ministrorum vulgo. Nicolaus Mullerus Isag in tabulas Frisicas c. 1. Io Bodinus Rabbinus l. 5. Theatri penes antiquam mansêre in hoc puncto veritatem. Et ratio svadet. Tribus motibus ut vult Copernicus agitata tellus, ac tam rapidè ut intra horam sub æquatore millaria maxima germanica, quorum quodvis quinquies mille passus continet, ultra 225 conficiet, ut Tycho supputat Epist. ad Rothm. Quomodo non ingens sylvarum strepitus audietur. Fluctus perpetuus, imò ejaculatio maris; domuum falsus? Quomodo globus versus ortum explosus attinget volu-

erem

erem in aërem, quæ illi in momento ad 4 fere milliaria subtrahitur, globus autem hoc spatio ut observavit, Wilhelm Lantgrav Hassiæ fere medium mill. Germanicum?

19. An cœli sint incorruptibiles?

MAteriâ eadem constare evincitur ex Patribus locum Sap. 11. commentantibus, quos referunt Conimbr, hîc Nam saltem divinitùs formam potest mutare. De facto tamen esse incorruptibiles, ut PP. & Phlus hîc c. 3. nequè cometæ novi, & stellæ novæ arguunt novas productiones, sed vel ex concursu parvorum & per se non conspicabilium planetarum, quales non paucos canna Batava detexit & ita factum in Nucleo Cometæ Anni 1619 Io Bapt. Cysatus Ingolstadij observavit, qui 1. Dec. totus obscurus in modum unius corporis opaci, 8. Dec. tricorpor 17. & seq. plurium stellarum, sed inter eas tres illustriores, 24. Dec. plurimarum stellarum cum una illustriore comparuit: Fortè etiam stellæ grandiores habent suos epicyclos, in quibus cùm sunt Perygæi nobis comparent, aliàs absconduntur, quod multi de stella quæ Anno 1572 in Cassiopæa comparuit, sensêre. Maculæ & faculæ solis in eodem corruptionem & generationem evincunt licet reliqui cœli sunt incorruptibiles.

20: Cujus figuræ cœlum Empyreum sit?

DUbio calculo cœli stellati distantia ob exiguitatē parallaxeos, nullo verò empyrei (quod Bartholinus Danus Prædicans putat esse figmentum Monachorum) haberi potest, Figuræ censetur esse quadratæ ex eo quia Ioan. Apoc. c. 21. vidit Civitatem sanctam in quadro positam, verùm cùm firmamentum rotundæ sit figuræ incommodè super illud quadratum collocaretur. Quocirca locus scripturæ cùm Alcasar mysticè potest accipi pro stabilitate: potissimùm cùm eandem Civitatem idem Ioan. vidit in monte positam, quod ad literam accipi non potest.

21. An

21. An aſtra propriam lucem habeant?

QUædam aſtra ſunt corpora opaca, alia merus ignis ut de Marte dicemus, priora lucem accipere probat, quia jam corniculata, jam plena apparent, quod in luna & Venere eſt videre: quod verò varij ſit lux coloris oritur ab aſtris ipſis: ſtellæ autem Eclipſim pati non poſſunt, cùm ſint altiores cono umbræ terreſtris. Neq; ſol eſt â tergo opacus ut vult Arriaga, cùm eum expertiſſimus P, Chriſtoph. Scheynerus in roſa urſina circa ſuum axem moveri obſervaverit ſemper lucidum. Luna verò cùm in novilunio aliquam lucem præfert, aliquam illi congenitam ſed tenuem ut cicindelis donamus.

22. Vtrum ſolæ ſtellæ fixæ ſcintillent?

CRediderunt id antiquiores & per hoc â planetis diſtinguebant, ſed aliud Recentiorum diligentia detexit & omnes Aſtronomos, â quibus neq; nos abimus, ad hanc ſententiam pertraxit. Non Saturnus plurimùm ſcintillat ſed agitatione leni. Fulgurat multùm Iupiter, Mars apogæus multùm. Venus tam apogæa quam perigæa. Mercurius ſemper. Luna & ſol tam parum ut non niſi per tubum diſcerni poſſit. Scintillationis cauſam optimam aſſignat P. Scheyner in Diſquis Mathem. quòd ſit ſpecierum ab ipſis in oculum delapſarum interciſio facta ab irrequieta vaporum variè affectorum intercurſatione, ex quo ratio redditur cur ſtellæ magis ſcintillant ſub nubilo quàm puro cælo, cur eadem ſtella horizonti propior, magis quam culminans; hinc quia Planetæ pleriq; dempto Saturno robuſtum habent lumen cæteris paribus minùs ſcintillant. Omnes autem ſtellæ intra 36. millia annorum ſuum curſum peragunt, & ex hoc intelligitur S. Petri Aſtronomia, qui 2. Epiſt, 3. 10. dicit magno impetu cœlos tranſituros, id eſt circa finem mundi reliquum cœli decurſuros.

23. Quare nihil certi etiam de corpore nati ex astris praedici potest?

IN animam astra nihil agere res per se nota, circa corpus quid agant sciri certè nequit, quia 1 idem influxus in diversa materia diversa efficit, quis autem Genethliacorum cognovit naturam materiæ infantis? 2. Difficillima cognitu stellarum positio, quæ illo situ alterant materiam. 3. Effectus astrorum ignoti quæ nunquam ab initio mundi similem per omnia cum aliis astris habuerunt positum, hic verò non modicè activitatem variat. 4. Ignorantia omnium stellarum cùm semper aliæ & aliæ inveniantur prout ars perfectionem accedit.

24. Quid censendum de concentu musico quem Pythagoras oriri suavissimum è cœlorum collisione docebat, imò audiebat?

ASsensus illi & Tullius in somnio Scipionis, Philo Iudæus l. de somnis & Plato qui ob hanc causam singulis cœlis affingebat sirenes; Imò & Iob cùm dicit 38. 37. Concentum cœli quis dormitare faciet: Triplex est musica ut Boët. particus 1. Sonora quæ in illis esse non potest cùm sint liquidi. 2. Symmetriæ inter se partium quam probabiliter Pythagoras intellexit & non ab omnibus percipi dixit. 3. Politica quæ consistit in recta coordinatione superiorum cum inferioribus. Alium concentum varij sed conatu vano quæsierunt, uti Kircher Musurgiæ lib. 10. reg. 2. per 10 folia deducit; hæc ergo duplex posterior in cœlis reperitur.

25. Quæ sit natura planetarum?

QUò magis versus lunam quis ascenderet, minores noctes experiretur, quia semper conus umbræ terreæ qui facit umbram attenuatur. Si quis verò lunam conscenderet terramqué despiceret hanc esse lunam putaret: maculæ viderentur nubes

nubes & partes clariores & nives, dentata superficies propter montes: Europa specie hominis appareret, cujus caput Hispania, pectus Gallia, reliquum Germania & Polonia, brachium dextrum Italia, sinistrum Anglia, cor Africa tota. Asia verò conspiceretur figurâ calicis, India linguæ exertæ specie. In luna maculæ sunt radij solares ob eminentias montium lunarium variè impacti, montes etiam umbris suis augent nævos. Non enim luna est perfectè polita, rotunda: nam si esset sol in ea summè splendens veluti in punctum collectus appareret, adeoquè nec videri è terra posset nisi fortè ex uno loco. Id enim in speculis nostris sphæricis experimur, Sydus Veneris & Mercurij eodem modo montibus scabrum, hujus globus circa suum axem intra 6. horas revolvitur. Sol verò est quædam veluti fornax cupraria profundens versus omnes partes ac eructans flammas, fumum exhalans lucidissimum, ex quo maculæ & faculæ in sole consurgunt & interdum Cometæ. Si quis ex mente Kircheri solē vellet circuire etiamsi quotidie millaria horaria 10 conficeret indigeret 19 annis. Sol circa axem proprium circiter intra dies 27 recurrit ut sic ex omni illius parte influxus in terram diffundantur, Intra diem conficit leucas horarias 69143. Mars verò est veluti mons piceosulphureus undiq; mixtas fumis eructans flammas. Iuppiter globos 4 tanquam satellites circa se tripudiantes in comitatu habet: qui cingulus in ipso apparet, est montium catena circumagitur circa suum axem intra horas 284. Saturnus ob immensam montium protuberationē magis rhombi quàm globi faciem exhibet, habet etiam suos comites, qui aliquando in idem corpus cum Saturno videntur coalescere, aliquando in figura pyrorum comparent, interdum ansulati ac instar forficum globum Saturni continentes, quod evenit cùm partes eorum à corpore Saturni teguntur. Polus nullus est realis, quia cœli sunt liquidi.

26. Qui sunt altissimi in terra montes?

OLympus in Thessalia dicitur nubes excedere, ut in ejus arenis inscripti characteres post annum se exhibeant, sed cum mensus Xenagoras invenit altum stadia 10 cum sextante. Alpes Gallorum Italiæq; limites Plinio alti ad 50 mill. Ital. sed hoc pugnat cum experientia, Pyrenæi separant Gallos ab

ab Hispanis sed non sunt adeo notabilis altitudinis. Carpathus longior quam altior Polonos ab Hungaris dividit. Caucasum solum ad 4 mill. Ital. altum putat Plin. Tenariffa mons in Canariis Insulis conspicitur ex mari â distantia 80. milliarium horariorũ quorum uni tribuuntur pedes Geometrici 17200. qualium in uno mill. Ital. reperiuntur quinque mille seu passus mille, hunc montem narrant Hispani ad 60 mill. elevari sed ex apparentia ejus ab altitudine tanta deficere demonstravit Snellius in Eratosthene ubi ostendit debere solum esse 92 mill. Ital. & hoc plus justò si habeatur ratio refractionum. Nullus deniq; mons excedit 52 mill. Ital. seu Germ. 12. ut demonstrat Vitellio & Albasen, Tycho & alij ac potissimùm *Dicæarchus*, qui teste Plinio plurimorum montium exploravit altitudinem. *Ex* quo conficitur supremam regionem aëris hâc distantia â terra incipere & cùm nondum omnium montium altitudo perspecta nihil posse definiri.

27. Quantum aquæ respectu terræ occupent?

COmmuniter censent Cosmographi ferè mediam terræ superficiem, â quibus non est recedendum, sed corpus aquarum ne quidem centesimam partem soliditatis terreæ constituit, etsi daremus pro energia computi molem terrestrium aquarum esse ad 7. mill. Ital. ubiqué æqué profundam, cùm tamen vix uspiam Italicum mill. profunditas excedat. & Bapt. *Benedictus* epist. ad Horatium Mutum scribit, se â nautis didicisse Oceani profunditatem non assequi medium Mill. Ital. imò docet Fromondus etiamsi aqua circumfundaretur ad 500 mill. Ital. tamen quia globi terraquei semid. Ital. mill. 3500. Ergo adhuc terræ se habebit ut 12 ad 7 ac proinde superficies aquea terreæ suppar sed non soliditas,

28. An cœli sunt solidi & quot numero?

NOmine cœli scriptura intelligit aggregatum ex aëre & æthere, sic volucres cœli appellat. sic cataractas cæli apertas. Numerum verò cœlorum colligere ex diversitate motuum, vanum, si cœli liquidi: & hæc est sententia nostra, pro qua Scheyne-

Scheynerus in rosa Ursina ferè totam antiquitatem adducit. Et certè in opposita sententia non est modus salvandi varietatem motuum sidereorum, cùm Mars nunc infra nunc supra Jovem, satellites Jovis & Saturni nunc inferi nunc superi, nunc planetæ terris admoti, nunc ab ijs remotiones, quæ varietas in sole est ad semidiametros terræ 18. Deinde nunquam loco proprio astra videremus ob refractiones, quæ diversæ accidunt in mediis raris & densis; sic etiam quoad visum distantiam stellæ variarent Cùm verò dicuntur esse apud Job. 37.18. *Solidissimi quasi ære fusi*, dictum arrogantis Juvenis Eliud & ignari refertur, qui multa inepta in Jobum effutiit; alibi cùm firmitas cœlo adstruitur, ut 2 Paralip. 6. 33, de cœlo Empyreo recipienda. Tres verò sunt cœli, qui juxta numerum planetarum computari non debent, essent enim plurimi. Quia magis scripturæ consonat, quæ ait Paulum in tertium cœlum raptum, illud ergo sit empyreum, 2dum planetarium, & primum nostri aëris.

29. Quantus sit sol?

NOn est diametri pedalis alioqui in æquinoctio intra 12 horas diei tantum 750 pedes per diem decurreret, & cœlum totidem pedum solùm vastitatem haberet, nam dum limbus solis è mari incipit apparere, si clepsydram vertas donec totus emergat, quod pulveris effluxit, 750 vicibus per 12 horas effluet & refluet. Major est etiam quàm terra, quia si esset æqualis umbra ejus noctu, esset cylindrica, ac nunquam desinendo in stellas incurreret, multò magis si minor esset. Kircher itaq; millies asserit majorem terrâ, quod colligi potest ex extremitate coni umbrosi â terra projecti, ubi ille evanescit. Sed ut ab illo non procul velimus abire ita negamus quidquam præcisè posse asseri.

30. Quid ex astris licitum prædicere?

SUperstitiones Astrologicas Papa Sixtus V. Bullâ anni 1585 damnavit, incipit *Cœli & terræ creator*. Post hanc tamen Bullam licitum non solùm tempestates, sterilitates & fœcunditates terræ, sed etiam considerando nativitatis punctum, tempera-

temperamenta & propensiones hominum prædicere: ita Abbas c. 2. n. 7. de sortilegis. Cajet. 22. q. 95. a. 5. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. de superstit. c. 11. a. 8. ad 11. Sales 1. 2. q. 9. a. 5. tr. 5. d. 2. In ordine ad medicinam licita & utilis observatio astrorum ut de Phlebotomia, balneis, sumendis medicinis, ovibus tondendis, quæ teste Varrone meliùs tondentur crescente luna, de quibus S. Thom, l. 3. contra gentes. c. 85. & opusc. 28. art. 4. Hæc enim directè influxum astrorum percipiunt.

31. Quando mundus finem habiturus?

CUriosa quæstio sed cui nihil è libris naturæ reponi potest. Non ex motibus cœlorum, nam communi persvasione priùs mundus finiendus quàm cœlorum omnium revolutio, quæ eget 30000 annorum. Asserit quidem finem mundi futurum fuisse Anno 1656 Redemptus Baranzanus 1. p. dub. 10. Quia totidem anni ad diluvium elapsi; sed his argumentis satisfecit mundus ipse. Alij colligunt ex revolutione S. Malachiæ Archiepiscopi Ardinacensis, qui symbolicè Pontifices Romanos â sua morte successuros, id est ab anno 1148 ad finem mundi descripsit, ab ejus autem morte inclusivè ad modernum Alexandrum 83 veritatem propheticæ approbârunt; supersunt verò 29 quorum ultimus Petrus 11. Ex quo sic quidam arguunt, demus quod quisq; horum ætatem S. Petri in Papatu id est annos 25 attinget: tum ultra 740 annos mundus non est duraturus; jam verò per annos 100 â Confirmata Societate IESV pontificatu functi sunt 15. ergo intra 200 annos 30 Pontifices. Rursus ab initio propheticæ 83 Pontifices annos 318 impleverunt, ergo ducta proportione 29 Pontifices implebunt annos 181. Quocirca audiendi Ss. Aug. enarrat in Ps. 6. & 89. & Cyril. Ierosol. cat. 15. Chrysost. hom. 9. in 1. Thessal. qui nec sæculum quidem sciri posse concedunt, & præsumptuosè aliquid in hoc negotio asserentes, Beda de rat. temp. dicit esse frivolos. Quia hanc sibi notitiam reservavit DEVS Matth. 24. 36. Marc. 13. 32. Act. 1. 7.

32. Vtrum coruu Monocerotis inter Meteora referendum?

M Ulti dari Monocerotem dubitârunt uti S. Ambr. de ben. ned. Patriar cap. 11. pag. 270. Paræus, sed conformius est sacræ scripturæ dari, cujus proprietates ponit. Num. 23. 22. Lud. Vartomanus eum vidit l, 1, navig c. 19. in Mecha felicis Arabiæ urbe cratibus inclusum staturâ grandis equi, capite cervino, jubâ equinâ sed modicis cruribus & macilentis, caudâ suillâ: Cornu ejus fuscum instar cervini describunt Plin. Ælian. Boët. Cardan. intus verò candidum rectum instar cochleæ in spiras convolutum desuper, carie nullâ, longitudine varia subinde trium cubitorum, tale Parisijs in templo S. Dion. asservatur crassitie exili ut prope caput digitis primis ambiri possit, 7, magnos pedes longum & hoc censetur maximum omnium rarissimum & magni pretij. Sed hoc cornu nihil habet virium contra venena, unde fabula est illud sudare præsente veneno, aut eo circumscriptum araneum rumpi, quod verò ebulliat in aqua id præstant omnia sicca, experire si placet in creta, argilla &c. ita Medici qui ex professo de hac re Laur. Iubertus. Ludov. Mercurialis. Ambr. Paræus, Ans. Boët. Gesnerus, & pro magno argumento habent. quod nusquam Galenus illud in medicinis numeraverit.

Tandem cornu specie saxeum effoditur ita Boët. Garzias, Cæsalpinus idq; passim in Germania, Moravia, Helvetia ubi etiam è fodinis ossa animalium, dentes tibi maxillæ aliquando & integra animalia, quæ etiam cùm franguntur inquit Alb. M. de rebus metal. l. 1. tr. 4. c. 9. intus habent viscera saxea. Huc spectat quod Leonardus Thurneisser in Pisone Germ. l. 7. c. 84. narrat effodi ex terra in Marchia Lusatia Thuringia ollas tam affabrè formatas cum manubrijs & strijs ut etiam in Polonia minore acsi tornatæ essent manu artificis, formis & figuris varijs, idem attestatur & Gesnerus de fossilibus l. 1. fol. 8. ex quo confirmatur narratio de cornibus fossilibus. Talia cornua sunt vera saxa, tale Alb. M. mensus longit. 10. pedum, basis in diametro sex quipalmi erat, talia ossea saxa sæpe appenduntur locis publicis veluti gygantum, cùm sint lapides pumicosi eruti è montibus.

Magnitudo eorum varia, plerumq; sunt incurva sæpiùs exteriùs dura, intus molliora, friabilia, facilè fragilia, linguæ apposita firmiter adhærent, odoris illius quem habet lac amygdalis mixtum, colore intus albo, exterius flavo aut cinereo, albo, sulfureo; vires summas habent contra venena: dosis drachma una, cor roborat

roborat, non omnia tamen earundem sunt virium; meliora quæ molliora, & quæ linguæ facilius adhærent, & quæ odore se commendant. Imò etsi non sunt forma cornu, sed referant lignum aliquod, juvat contra syncopen, cardiacã, Epilepsiã, vermes puerorum, sanat ulcera. Ita Bart. cum plurimis medicis: Hoc ergo ad meteora reducunt quidam, sed immeritò cùm sit mixtum perfectum.

33. Quare prius coruscationem videmus, deinde tonitrua audimus?

VTrumq; est in eadem nube, sed species visibiles aut lux quasi instanti propagatur, idcirco eodem momento fit, ac visu percipitur, sonus aut species ejus feruntur successivè crispando aërem, & tardius perveniunt, idcirco miles stultè fugit ictum audito sclopi sono, sed conspecto igne adhuc eum evitare potest: citiùs tamen sonus pervenit quando pulvis pyrius fortior, quia magis aër impellitur: & idem est in fulmine, cujus si sit major fragor, post unam vibrationem arteriæ auditur; (micat autem arteria intra horam 4450 & toties ferè respiramus: hinc intra horas 24 seu diem aliquis in DEO suo respirare potest Philotheus 106800.) Si fulmen sine pluvia cadat, languidiùs ferit, & tardiùs sonus pertingit, si cum pluvia utrumq; evenit modo contrario tantùm prodest antiperistasis, tardiùs tamen ad nos tormenti bellici sonus venit quàm fulminis, quia per aërem densiorem fertur regionis infimæ. Hinc deduc verum esse, neminem fulmine tangi qui prius ejus sonum audierit.

34. Quæ magnitudo soleat esse cometarum?

COmetam anni 1577 Tycho demonstravit ferè bis minorem lunâ in diametro habuisse mill. Germ. 550. Anni 1475, Regiomontanus in diametro mill. Germ. 26. sed illum Tycho censet errâsse. Longitudo caudæ in cometa Cysati mill. 38 2700. Varij sunt itaq; quod effectus attinet: Claud, dixit nunquam cœlo spectatum impune cometam, & Græcorum ver-

ficulus fuit instar axiomatis receptus. *Nullus cometes qui malum nullum ferat.* Collegit catalogum eventuum Tragicorum qui secuti cometas viginti quatuor, Nic. Causinus l. 3, de domo DEI c. 12. Paracelsus more suo Philos. l. 2. fabulatur eos â fato singularum personarum procudi, illustrem quidem â fato illustrium personarum: caudatum â fato Ecclesiasticorum, rudem & crassum â fato rusticorum. Campanella in l. 1. Astrol. jubet observari colorem, magnitudinem, splendorem, formam, diuturnitatem, situm, locum, motum, habitum ad solem & mundum & ex his conjecturas sumi. Scalig. acer ille Cardanomastyx exerc. 79. n. 2. nihilominus ait: *Multi â nobis cometæ visi, quos nulla usquam tota in Europa subsecuta est pernicies mortalium: & multi clarissimi viri suo fato sunt functi, multi eversi principatus, pessumdatæ familiæ illustrissimæ sine ullo cometæ indicio.* Sed placet sententia Cysati anni 1618. in paresgo concludere. *Quæ calamitates cui regioni, quibusve intententur, vanum & temerarium est asseverare, nisi quis ostendat divinis consilijs se interfuisse,* Nobis secutis S. Damasc. l. 2. de fide c. 7. Certum est, eos assumi â DEO ad terrendos mortales?

35: Quantam partem terræ unus ventus perflet, seu quam latè feratur?

VItru l. 1. c, 6. Diviso orbe terræ per horizontem naturalem putabat quartam partem terræ perflari, sed rectiùs computavisset ab horizonte visibili nostro hunc quadrantem computando, habuisset enim modernorum nautarum pro se experientiam. Sed horizon prout aliquis assumit altitudinem insistentis centro illius inæqualis est, major altiori. Proclus tamen respectu staturæ virilis eum extendit ad 125. mill. Ital. sed excedit. Dan. Barbarus ad medium hujus, Macrobius in somnio scip. ad 222. mill. cui consentit Alhasen l. de crepusculis, sed moderni nautæ ad 6, Belgica, seu 18. Ital. qui etiam unam leucam seu tria mill. Ital. uni vento in latum assignant, quæ sententia ut in experientia fundata præferri cæteris debet.

36. Quam procul ventus possit procedere?

Ven-

Venti sunt exhalatio sicca ê terra consurgens in altum & rapiens secum aërem ac inde in terras obliquè cumulatim decidens, humore subinde inficitur â locis quos transit. Exhalatio verò debet ê terris oriri sed resolutis ab aquis, idcirco ut scribit Jos. Acosta l. 3. hist. Ind. c. 8. quò propiora littora, eò validiores esse in mari ventos: quo ipso argumento Columbus ultra mare Antlaticum quæsivit & reperit terras, quia inde advertit spirare ventos validos: idcirco etiam post pluvias venti consurgunt, quando terra resolvitur. Ad quæsitum respondet Macrob. l. 2. somnij c. 5. Austrum ab uno polo usq; ad alterum pervenire, sed contra experientiam, itaq; cum distinctione dicendum. Ventos qui sunt leviores decidere obliquius, ideoq; longius spatium decurrere: graviores verò ex alto cadendo propius accedere perpendicularem: quæ est ipsa doctrina Aris. hîc l. 2. c. 4. ubi docet Austrum longius fluere quàm Boream. Plin. Æthnæ cineres ultra 150. mill. Ital. adnotavit ventis provectos, itaquè tam procul ventus progredi potest, sed processu debilitatur, ideoqué venti languidiores innuunt se majorem peregisse peregrinationem.

37. Quomodo se habent æstus in mari?

I. Non omne mare patitur æstum. Non æstuat Mœotis, Pontus, Propontis, Caspium neq; nostrum Balticum. Mediterraneum æstuat, Siculum verò bis de die, Adriaticum Venetijs ad duas orgyas attollitur & detumescit, Oceanus totus assurgit & quidem ubi Britaniam aluit test. Plin. l. 2. c. 97. ad cubitos 80. Iam verò Oceanus occidentalis magis æstuat quàm orientalis ita, ut fluvium Naragnonem seu Amazonum ad 100. leucas retroagat, fluvium Indum instar torrentis ad 30 leucas rejiciat: quem æstum Curtius l. 9. describit & in eo discrimen Alexandi: in Belgio etiam Scaldis, Bætis in Hispania, Garumna in Aquitania, & aliqui fluvij in Lusitania, Tamisis etiam in Anglia & quidem ad 50 mill. versus ortum suum repellitur. Hoc modo verò dicti æstus fiunt, dum luna oritur in horizonte aquæ incipiunt crescere, & crescunt donec luna attigerit meridianum cœli circulum, tum se rursus demittunt, usq; dum luna occumbat â cujus occasu rursus increscunt donec meridianum

dianum subalternum luna ingressa fuerit, â quo incipiunt descendere. Excipiuntur ab hac generali regula aliqua maria sed pauca: & hic est æstus diurnus. Alter est menstruus. Nam â novilunio usq; ad primam quadram quotidie minores ac minores fiunt æstus, â prima quadra ad plenilunium sensim majores ut maximus sit æstus ipso die plenilunij, â quo ad ultimam quadram quotidie minuuntur, â qua deinde quotidie assurgunt ita, ut in novilunio & plenilunio sint maximi. In æquinoctio etiam utroquê maximi, in solstitio æstivo mitescit mare, sed non in hybernô; item cùm luna moratur in Borealibus signis tumidiores æstus quàm cùm in Austrinis. Hæc nota ab experientia, sed causa tamen in lunam rejici debet ut in causam remotam, quam tam certo sequuntur æstus, ut nautæ in scopulis horarum notas designent, quas, ascensu suo aqua indicet. In proxima causa assignanda, sequimur Kircherum, qui regurgitationem maris assignat; hæc enim lunæ cursum subsequitur tanquam Dominam ac Præsidem aquarum.

38. Quod flumen maximum?

RES in incerto cùm non omne inspexerimus. Arist. Indo primas tribuit qui 6. mill. Ital. in latum habet, sed illi præfert Arianus Gangen. Virgilius Padum celebrat, alij Nilum. Sed fluvius Amazonum his omnibus quos novimus præferri debet, qui 70 leucarum distantia dissitas ripas implet. Suppar illi fluvius Argenteus, & fluvius S. Magdalenæ, qui tanto impetu in mare invehitur, ut intra decimam leucam aquas dulces propinet.

39. An sint telæ aranearum illa filamenta quæ per agros apparent?

APparent illa potissimùm in Autumno instar telarum araneæ, sed telæ non sunt verùm vapor percoctus terrestribus ac viscosis exhalationibus concretus, minus adhærens quàm tela araneæ. Quòd verò hoc tempore potius appareant, causa est quia postulant calorem temperatum & siccitatem, quem potius

gius istis temporibus inveniunt, quod Vere non ita multa conspiciuntur, atq; in Autumno causa est, quia exhalationes non relinquit tot ac tantas hyems veri, sicut æstas Autumno.

40. Quod manna sit meteorum?

NOn nostrum quo veluti pulte vescimur, & quod feri potest, sed illud quod est ut Galenus loquitur, mel aërium, roscidum, quod ex arboribus decutitur, imò est succus dulcis pinguior ac densior melle, ex rore & exhalatione florum percoctus in infima regione aëris, nocturno frigore densatus, invenitur potissimùm in fraxino & tilia, imò & in saxis & ita quidem ut si arbor linteo tegatur, non in linteo sed in arbore manna comparebit, ex quo argumentum consurgit, arborem ad ejus generationem conferre. Datur in medicina ad purgandum corpus.

41. Quæ sit origio fontium & natura?

PLurimi fontes non puris fluunt aquis, sed continent quiddam mixtum: ita fons in Aruvernia apud Gergoviam postquam aliquamdiu instar aquæ fluviolum profundit eum ipsum in lapideum cogit: alij fontes redolent vitriolum, alij salem, alij reddunt venena: aliqui ardent, quales sunt non pauci in Pyrenæis ad civitatem Aquensem: aliqui ita fervent, ut omnia esculenta sibi injecta perfectè concoquant, imò in aliquos in pago Dax in Gallia inter montes prædictos si bos vivus injiciatur, subitò in pollinem redigitur, solis ossibus enatantibus. Fontium originem ad crateres quosdam saxeos sub terra quidam referunt, qui implentur dum mare æstuat, & aquas largiuntur per quædam epistomia; sed quis credat eos crateres reperiri in illis partibus, ubi neq; petra noscitur aut saxum grandius, & tamen fontes manant? Deinde illi crateres, in quibus hæc sententia vult aquas ab ignibus subterraneis incalescere, quis credet non debuisse exuri pridem in calcem? Meliùs dicitur aquas subterraneas resolutas in vapores ascendere, & â frigore terræ rursus in aquas densatas fluere. Aquas esse sub terris copiosas docet Moyses Gen. 49. & Deut. 3. ex Græcis Homerus Iliade Φ attestatur per experientiam. Agric. in Berm.. Quod verò fontium origo sit vapor, & pro hoc

hoc est experientia metallariorum, qui ubi ad fontium capita fodiendo perveniunt, nihil nisi lapides roscidos & terram humentem reperiunt teste Fromondo in meteor: miracula verò fontium hoc modo possunt explicari. Variæ metallorum exhalationes & semina cum vaporib9 aqueis assurgũt, & illis se immiscent, & illis immixta fontes varios efficiunt, nam contra experientiam asserunt, qui dicunt ideò metallorum naturam fontes assumere, quia per mineras fluunt, producta est fossio usq; ad initium horum fontium teste Petro Io. Fabro in hydrog. spag. & nihil metallorum repertum, imò idem ait ibid. si antimonium, quod maximè aquas reddit medicas, crudum imponatur, aquæ etiam tepidæ etsi in ea diutissimè jacuerit (multò minùs aliud minerale) nullas vires ei communicabit; solum enim vinum ex antimonio vires exsugit. Hinc fontes aliqui injectis baccis gallæ nigrescunt, quia vitrioli exhalationes continent: alij ardent, & hoc præstant cuprei spiritus immixti ammoniacis: alij lapidescunt, quia etiam in alembico lapis ex aquis aliquibus formari potest teste Paracel. quibus glutinositas terrea inest; alij candelam extinctam accendunt, qui petrolei spiritibus præditi: alij alias virtutes habent ob spiritus immixtos variorum mineralium. Quando verò copiosè aquam montes ac statim flumina effundunt, tunc plurimos intra montem fontes in unum derivasse aquam, censendum erit.

42. Circa quædam notabilia in Mundo decisiones.

OLea, ficus, quercus emittit sine flore fructus. Flores autem sine fructu iris, jesseminum, Narcissus. Florem eundem & fructum thymus. Facit hoc in prioribus succi crassities, in secundis magna tenuitas, in tertiis moderata temperies, nam fructus ex crassiore succo, flos ex tenuiore.

Compertum est aliquando sues ita pinguefactas, ut intra earum adipem viventium mures fuerint stabulati, aut saltem pabulati. Licet enim vegetetativa anima omnes animet partes, non omnes sensu donat.

In Malabar feles inhabitant arbores, habent alas instar vespertilionum membraneas, Lusui hoc naturæ debetur.

Ubi Cinnamomum, Zingiber & Cariophilum nascitur ibi nume-

numerosissima venenata. frigida sunt venena, grata est illis aspiratio calidi.

Anno 1511 Maximiliano Imp. præsentatus unus, qui integrum vitulum crudum, & ovem crudam absumpit nec dum fuit satur. Sotus in Phys, in talibus cibus statim exhalat per poros. & temperies stomachi fuit diversa à nostro.

Didacus Osorius Hispali conjectus in carcerem homo juvenis unâ nocte incanuit. Tam subitò calor ferè totus ad intima aufugit: canities enim est veluti pruina quædam.

Puerum unum 57. annis dormivisse refert *Plin.* 7. c. 52. Copia materiæ fecit.

Theridatem Armeniorum Regem persecutorem Christianorum mutatum in porcum, narrat Surius 30 sept. Vindictæ opus divinæ.

Olucerius Caraffa Card. *R*osarum odorem pari non poterat, & custodias apponebat; nequis rosas inferrat. Humor positus in Organo odore exasperabatur.

In regione Camata inveniuntur Harpyiæ virgineo vultu aves. quæ transeuntes viatores ungvibus abripiunt ut Milvus passeres, adeò non est fabula Harpyjas dari.

In Insula Caspij maris reperiuntur Leones humana facie, aquas ingrediuntur & pisces venantur. Amphibiorum est species.

*I*mprecatione S. Natalis Abbatis est quædam familia quæ mutatur in lupos. Nieremb. in Nabuch. *I*d DEI pænæ tribuendum, qui partim Phantasiam immutat, partim superinducit pellem.

S. Aug, l. 4. civ. c. 24, Noverat unum qui sudabat quoties vellet alterum qui flebat. Musculos habebant robustiores & in potestate poros.

Stengel l. de monstris Italiæ c. 5. narrat, in *T*yroli fuisse Juvenem cui crescente lunâ caput bovis cum cornibus ex ventre crescebat, decrescente decrescebat. Copioso humore præditum fuit, qui lunæ subest.

Pisa in Novilunio nata nunquam florere desistunt. Tenzelius. Quia succus nimiùm diluitur venulæ tenues formantur ut crasescere non sinant.

In solstitio olea, tilia, populus, alnus, salix, folia circumagunt; Quia venulæ contrahuntur, & arescere incipiunt.

Oriente Syrio stellâ, avis parra nusquam comparet usq; ad ejus occasum inimicum ejus temperamentum fugit.

Lunaria herba quot dies luna â novilunio recedit tot folia producit & eâ recedente â Plenilunio totidem rejicit. Humoris incrementum folia producit, decrementum arefacit, quod Lunam imitatur.

In Austria fuerunt gemelli qui applicatis lateribus ad portas, seras aperiebant. Goclen in Mag. Idem fit in herbis quibusdam quæ resoluunt ferri duritiem,

Trifolium Coctum morsis à vipera dolorem tollit, si vero sanis imponatur eum dolorem infert, acsi essent morsi. Galen. de Theriaca ad Pisonem. Quia non invenit adversarium in sanum corpus agit.

In Helvetijs quidam murem, felem, canem, avem assvefecit ut ex una pranderent scutella. Drex. Aurif. part. 206. Ita natura obedit arti.

In provincia Vochon sub ditione magni Cham in Campestribus Pamer adeò frigus est ingens ut vim ignis reprimat nec adeò fortiter lucere valeat, sicut alibi: & difficillimè illo aliquid coqui possit. Marcus Polus l. 1. c. 28. Quia cavernæ expirant frigus, nec sol accedit.

Ex lapidibus in regno Neapol. etiam fungi crescunt intra dies 14. aquâ tepidâ irrorati. Scal. 137. Ille lapis seminium habet fungorum.

Dantur plantæ quæ comedunt gramen. sunt Zoophyta.

Sunt aliqui loci in quibus vulnera certis membris non sanantur ut Avenione & Romæ crura; facit adversa exhalationum temperies.

Corpus hominis sani levius est tribus libris æstate quàm hyeme. Io. Ionston. Thaumatograph. Quia apertis poris plus expirat, hinc levitas: clausis minùs, hinc gravedo.

Sunt Gentes quibus difficilè curantur vulnera in certis membris ut Gallis in capite, Anglis in crure Fr. Verulam, in Sylva sylvarum, Temperies corporis vitiosior in illis est membris.

Bene munitus vestibus hyeme est minoris ponderis quàm nudus. Sanctorius Iustin. in medicin. static: Id in pororum apertionem rejiciendum, quibus patentibus majora expiria.

Dum nullus est ventus ventilabra domorum respiciunt occidentem. Verulam de Ventis. Id in maritimis magis contingit, nam mare ab ortu refluens auram secum trahit.

Pondus corporis augetur initio Autumni, minuitur initio Veris. Sanctorius. Pororum hiatus illud claudula hoc facit, tempore

Quercus

Quercus tot habet radices quot ramos, Natura tam vivaci plantæ seriam providit Oeconomiam.

Canis nunquam corpore, sed solùm lingvâ sudat. Densior enim pellis; lingva rarior.

Quò major sylva, eò plures arbores necesse est totidem esse ramorum, totidem foliorum, & radicum. Quia plures sunt arbores quàm cujuscunq; folia.

Pirrhus Rex Epirotarum unicum dentem habuit. Hercules triplicem ordinem dentium. Andr. Laur. in Anal. materia ossis exuberavit. In Silesia cum aureo dente natus. Quia halitus fodinarum è vicino accessit.

Idem vas plus capit liquoris in profundo cellario positum, quàm in monte. Humor arcuatim assurgit, in profundo arcus propior centro terræ magis inflectitur & attollit humorem.

Statua Nabuchodonosor habuit duorum cubitorum nasum. Nam erat 60 ulnarum, nasus est pars trigesima.

Si quotidie quis consiceret mill. Germ. 6. circumiret terram intra annos 2. dies 170. Nam ambitus terræ est mill. 5400.

Nullus mons terream rotunditatem magis variat quàm verruca hominis figuram: nam etsi esset in altum unius mill. Germ. tum haberet se respectu terræ ut 1. ad 265 693 3884 qui est numerus amplitudinis in mill. explicatus ac proinde minor quàm granum siliginis respectu modij.

Cæsaries Absolonis pendebat 8. libras, tot faciunt, sicli reducti ad libras.

In mari è fragmentis navium primò fiunt fungi albi, pòst alæ pedesq; accrescunt tum avolant aves. Nieremb. In regno Marrochi ea vastitas Balænarum ut infra costam. Maurus Camelo insidens libere neq; curvato corpore transire possit in quo Natura suam ostentat magnificentiam.

Magnes præsente adamante non trahit ferrum & si traxit demittit. Scal, exer. 112. & hæc inanimis species agnoscit Regem cujus adversos veneratur spiritus.

Est arbor in Insula Cimbabon, cujus tam si in terram deciderint, ambulant & tactum fugiunt. Exerc. 112. inter Zoophysta numeranda.

In Narniensi agro tellus siccatur imbribus, æstu humescit Plin. l. 31. c. 4. facit raritas absorbens, æstus vero resolvit humorem latentem in vapores & sic humectat.

Voces radicales latinas Varro numeravit 500 000. Ex his auta volumina.

Paulus

Paulus IV. Papa Biblia tota verbatim è memoria promebat, & anno ætatis 83. è Tullio, Virgilio aliisq; authoribus integras paginas inoffensè recitabat. Ios Scaliger uno & 20 diebus totum Homerum memoriæ mandavit. Ilias autem continet versus 31670, vix pauciores Odyssea Idem omnes Poëtas Græcos intra quatuor menses edidicit. Fecit pulchra temperies cerebri.

Miracula divina quæ certis diebus ante correctionem Calendarij eveniebant, eo correcto, diebus decem tardius contingunt, Th. Bozius de signis Eccl. l. 15. 10. ex quo patet illa prodigia ab altiore mente fieri.

43 Quæsita quædam de mundi contentis soluta?

AN verum est remoram piscem naves sistere? syrtes & æstus horarij sistunt, expertus id Kircherus, in mari Siculo ubi remoræ narrantur plurimæ.

An lupo quis conspecto obmutescat? Fabula; terror facit aut nimius clamor.

An lunatici modica foramina transeant? Fictum. Non datur penetratio.

An Lynces videant per parietem? Non. Quia species non ab oculo sed ab objecti quasi superficie procedunt, nec ultra species visus fertur.

An dentur quadrupedia perfecta Viridia? Dantur Simij viriditate conspicui. Scal. exerc. 114. Nam non uniformi terra omnia, alia ex humidiore, viriditas.

An dentur flores virides? Dantur. Crassiores tamen ob crassiorem humorem.

An pavo, si albo circumtegatur colore, pullos albos excludet? Affirmat Fernel. l. de Procreat. Hominis Fabula est. Non agitur hîc imaginatione sed calore, qui etiam à fornace æque est efficax: in hoc negotio.

Chamæleon an solo aëre vivat? Captat muscas lingvam eiaculando Radiu in per.

Viperæ an eroso ventre Matrum nascantur? Aliud expertus scal. 199.

An rosæ Hierichuntinæ nocte Nativitatis Dominicæ quamvis exsuccæ florescant? Spectavit id per annos plures Drexelius in Aurif.

Glacies

Glacies an ex frigore? Nascuntur striæ, & in fornaculis chymicis in medio ignium: siccitas concurrit.

Vtrum omne animal inferiorem tantùm mandibulam moveat? movet crocodilus & psittacus superiorem.

An omnis avis primò ponat ova, post excludat pullos? De vulture narrant Historiæ quod statim pullos excludat.

Vtrum naves ita ferantur plenis velis, ut sagittam possint assequi? Observarunt Hollandi ut scribit Fromondus l. de immob. terræ non plùs quàm duo magna mill. Germ. Intra horam conficere, seu passus 9000.

An verùm, laurum fulmine non tangi? Vicomercatus vidit Laurum fulminatam.

An omnia ossa exurantur? Ait Andr. Laur. dentes ex incendio manere, eos neq; sareophago lapide consumi.

An corallium sub aquis molle? Exploravit Begvinus l. 12. c. 10, semper durum invenit.

An Crystallus ex glacie? Nascitur ubi ignota etiam glacies.

An verum sit sepulchrum Mahometis vi Magnetum pendere in aëre? Potest ferrum ita pendere ut Magnetem contingat, sed hoc modo non potuisset ille impostor plebi illudere cùm enim tumba ferrea adhæreret fornici ê Magnetibus compacto quisq; suspicaretur, eam desuper annexam vinculis. Vt verò inter medios magnetes æquè ad se trahentes penderet fuisset grandis impostura. Sed ex multis capitibus uti expertus Cabæus factu impossibilis. Nam magnetes præcisè æqualium virium esse debent. Virtutis tractivæ sphæra in similib. punctis cōcurrere aër immotus

Vtrum vera sunt quæ de gemmis jactantur? Quod v. g. fulmina prohibeant sapientiam, prophetiam comparent, &c. nugæ sunt Chaldæorum.

Quare aliquæ arbores semper virent, ut Cupressus, pinus &c.? Non est causa siccitas. Nam Amygdalus junior non amittit frondes hyeme, senior amittit, quæ tamen siccior. Neq; calor quia Cupressus frigida. Sed hoc evenit in ijs, in quibus aliquâ ratione fieri potest, ne humor ab arboris matrice ad folium transfusus intercipiatur quia succus frigore nec consumi, nec prohiberi potest, ita viscus autumnali frigore est lætissimus.

Quare aliqui flores aperiuntur orto sole, contracti noctu? Quia humore i suscepto, atq; moto remitti in latitudinem est necesse. Quare alij claudūtur? Qui parū obtinent humidi, abeuntib9 particulis calore digestis, facile clauduntur: quia curvantur, curvantur

vantur autem rarefactis meatibus, necesse est in abeuntium partium loca vacua solidas partes succedere, condensatur ergo superficies, ideò fit brevior.

Vtrum aliqua avis venenosa? Nulla verè avis seu plumata, verùm multa insecta volant, ut scorpionum quædam species.

Quare venenata in desertis locis habitant? Quia loca à venenatis inficiuntur ne apta sint habitationi hominum.

Paradoxa.

Canis dejectus ex altissima turri, non cadit in terram
Luna in Novilunio non minùs lucis habet, quàm in Plenilunio.
Æquus atq; bonus vir, non debet esse Grammaticus.
Civitas non potest constare solis divitibus.
Pueri non possunt esse beati.
Mali non abuntur virtutibus.
Magis dissident vitia cum vitijs, quàm cum virtutibus.
Nemo Philosophus noctem vidit.
Ebrij plura vident.
Potest quis mentiendo ipsissimam veritatem dicere.

Parerga.

Possunt navigantes in mari iter dimetiri nemine ad id attendente.
Potest compassum in mera umbra horas indicare.
Possunt fructus arborum nasci figurâ Angelorum.
Datur aqua quæ non madefacit.
Potest per aquam dignosci purum Metallum, ab impuro.
Potest quis dentibus audire.
Potest ignis colorari.
Potest ex flamma extrahi cera.
Potest ponderari fumus.
Potest cera semel exusta, iterum ardere.

Pro-

Propositiones Mathematicæ de Cœlo supremo.

VElocitatem quam habent Beati ex dono agilitatis conjectari. Beatus cùm accedere possit alterum; etiam per diametrum Cœli à se distantem, & spectet hoc ad complementum felicitatis, supposita minimâ concavi empyrei, à nobis distantia ex Ptolomæo semidiametrorum terræ 45225. si singulis diebus mill. Germ. 10 conficeret, non nisi 66 millibus annorum ac 978 annis & 326 diebus elapsis ad alterum perveniret ergo cùm probabile sit intra brevissimum tempus, ac quasi instantaneè perventurum: Velocius incomparabiliter scloporum globis, fulmine, sole & quovis alio motu ferentur. *Veritas hujus propositionis patet.* Ex semidiametro cœli convexi colligitur Diameter, hinc circumferentia mill. Germ. 24 443 5060. ex quibus ad intentum devenitur & tandem libet exclamare *Baruch.* 3. *O Israel quàm magna est Domus Dei & ingens locus possessionis ejus* Et illud. 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate surget in virtute.*

Quantum iter conficiunt Angeli Custodes cùm ad nos de cœlo descendunt. Assumo & hîc distantiam cœli convexi primi mobilis Ptolomaicam quæ est minima, conficiunt mill. Germ. 3 889 3500, hæc miliaria etiamsi 10 diebus singulis ab aliquo decurrerentur pro integro itinere requirunt annos 1 0655. Dies 275.

3. *Quantum temporis Lucifer in suo lapsu consumpsisset, si instar lapidis (dato æquabili motu,) ruisset de cœlo.* Do lapidem 50. pedes Geometricos decurrere intra unum arteriæ pulsum, qui æquatur minuto secundo Horario (licet multò pauciores decurrat) itaquè 600 pedes transibit 10 secundis sive unâ quintâ minuti, ergo in uno minuto transibit ter mille pedes Geometricos, & in 10 minutis trigesies mille, & in 20 sexagies mill. Cùm igitur quinque pedes faciant unum passum Geometricum & 1000 passus Geometrici unum mill. Ital. & quatuor Italica unum Germanicum, ergò lapis intra 20 minuta absolvet 12. Ital. mill. sive tria Germ. mill. Dico ergo, tria dant 20. quid dabunt 3 889 3500? dabunt 259 229 0000. minuta, quæ divido per 60 dabunt horas 432 1500 hæ divisæ per 24 dabunt dies 18 0062, hi divisi per 365 dabunt annos 493 dies 117. Ergo

Lucifer

Lucifer si ruit ut lapis intra tantum tempus decidit, si verò intra triduum iter suum peregit, millaria in diem 1 296 4500. confecit.

Similitudines Ethicæ.

IRa debet esse ut canis, hostem etiam blandientem invadat, amico vel percutienti parcat.

Fortis viri est non deserere vitam, arena enim est certaminis, nisi vocatus, eâ decedat athleta.

Juvenum consilia non secus ac medicorum inexpertorum suspecta esse debent.

Honor est sicut vestis, deformat si malè congruat.

Non unus Jason est, qui aurum pro uxore quærit, & pro dote uxorem, sed nec unus qui Medeam invenit.

Mendax, ut fallax mercator, seipso neminem magis fallit.

Parvi animi est ad alta conscendendo scalam adulâtionis applicare magnus animus seipso attingit.

Harmoniam deesse vult, qui plebeios spernit; chordæ & illi ejusdem cytharæ licet tenuiores.

Magistratus per malas artes quæsiti, sunt sicut latronum pecunia, bonis non administrantur.

Multi privato majores, quamdiu privati & digni magistratu, nisi illum gesserint, & hoc esse trabem cariosam quæ pondere prodit latens vitium.

Hermes in fine Asclepij.

Dictum est de singulis ut humanitas potuit ut voluit permisitq; Divinitas. Restat hoc solùm nobis, ut benedicamus DEVM.

(o)

BIBLIOTH. UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS